



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 1. Acedia quid, & quàm periculosum sit vitium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

CAPVT VII.  
ACEDIE NATVRA, DAM-  
NA, REMEDIA, IN STUDIO-  
SO IUVENE, OSTENSA.

PARS PRIMA.



Usque quò, piger, dormis? quando consurges è somno tuo? Prou. 6. 9.

**A**VDIVM, nobilissimus charitatis  
fructus, vel de bono Dei, vel de bo-  
no proximi, in nobis oritur; atq;  
idcirco geminum est. Vtrique tristitia quæ-  
dam opponitur. Illa tristitia, quæ aduersa-  
tur gaudio ob bonum diuinum nato, *acedia*,  
seu tristitia de bono diuino; quæ autem est  
contra

I.  
ACEDIA  
QVOD, ET  
QVAM PE-  
RICVLO-  
SVM SIT  
VITIVM?

S. Thom.  
2. 2. q. 35.  
a. 2.

Aristot.  
1. 10. Mo-  
ral. Ni-  
com.

Cassian.  
l. 9. & 10.  
l. 10.

contra gaudium è bono proximi profectum, *invidia* appellatur. Qua de caussa D. Thomas censuit, prius de *Acedia*, quàm de *Invidia* tractandum. Alij tamen in vltimum *Acediam* locum relegant, non quòd sit minimũ vitiorum ( siquidem charitati virtutum omnium reginæ, & quidem magis, quàm *Invidia* opponitur, quod pauci expendunt ) sed quòd in vitijs ordo nullam indicet dignitatem. Et decet *Acediam* vltimus locus, cùm ipsi etiam pigri atque acediosi, in rebus spiritualibus, semper vltimi velint esse, primi aliàs in somno, & lecto, & vino, & reliqua corporis comoditate. Nempe *asinus stramenta mauult, quàm aurum*, vt, teste Aristotele, dixit Heracitus. Ceterùm hoc vitium paucis est satis notum, tantoq; nocentius, quantò latentius: quod, teste Cassiano, solitarijs atque in eremo quoque sanctissimè commorantibus, tanquam frequens & infestus hostis insidiatur. Qua de caussa apud Ioan. Climacum *Acedia est remissio anime; & resolutio mentis; pusillanimitas exercitioris; odium professionis; mundanorum beatificatrix; detractrix Dei quasi inclementis, & existentis sine benignitate; attonita in psalmodia; infirmans in oratione; in ministerio ferrea; in opere manuum pigra, in obedientia*

entia improba. Quare vel in his solis rebus Deo nauseam mouet etiam virorum aliàs probatorum: *Angelo Ephesi scribe, ait Dominus, Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt; & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. En quantus vir? & tamen, subiungitur: Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti! Memor esto itaque, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Hoc Ephesiorum Episcopo satis grauibus verbis est indicatum. Episcopo autem Laodiceæ dictum est: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neq; calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Nec immeritò, ait Daniel Abbas apud Cassianum, eos Dominus, quos jam in visceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronunciat: qui cùm salutarem quodammodo ei potuissent*

Apoc. 2.1.

Apoc. 3.

13.

Cassian.

collat. 4.

c. 12.

potuissent

potuissent præbere substantiam, auelli ab eius visceribus maluerunt; tantò deteriores effecti illis, qui nunquam ori Dominico illati sunt, cibus, quanto id, quod nausea compellente proycimus, odibilis detestamur. Quod si hunc Acedia, in viris pijs, & de salute sua sollicitis fructum parit, quæ damna non efficiet in Politicis illis, aut secularibus animis, qui in vtramuis aurem otiosè dormiunt, & verè, neque frigidi, neque calidi sunt: vellent enim sua beatitudine, ad quam conditi sunt, non excidere, & tamen nolunt ea facere, quæ necessaria sunt ad beatitudinem consequendam. Prodest igitur, immo valde necessarium est, vt Acediam in Arcadico germine aliquo penitiùs inspiciamus, quod in Exempli narratione faciemus.

II  
HISTO-  
RIÆ AV-  
THOR AC  
CONVENI-  
ENTIA.  
Spec Ex-  
emplorū  
dist. 4.  
exemp. I.  
Item Ca-  
rolus Ab-  
bas, in

Vt autem appareat, non illico contemnenda esse, quæ obuia sunt, ex obuiio libro historiã recitabo, hoc ipso non obuiam, quia optimus liber à multis non legitur, obuia non legentibus, cùm sectentur peregrinã; curiositatis studiosi, non pietatis. In eo igitur volumine, cui titulus est *Speculum exemplorum*, narratur, quod etiam alios in suis libris non piguit commemorare, de duobus fratribus, Parisios, tanquam ad mercatum bona-